



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 106. Navale praelium Turcas inter & quatuor illas naves

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. mete, suisque belli præfectis, quos *Bassas*
A.C. 1453. vocant, primum agmen ducentibus.

§. CVI.

*Navale prælium Turcas inter &
 quatuor illas naves.*

Mare navibus quaquaversum dispositis
 ferme intumescere credebatur, adeo
 tamen ingrata repente torpebat malacia,
 ut quatuor illæ naves salo hærentes, nec
 velis propelli, nec remis reduci possent;
 hinc succidentium ventorum inclemen-
 tia adactæ, prælium in potissimam diei
 partem protractum inire compellebantur.
 Turcæ Sultani præsentia stimulati exul-
 tant, ipse quoque Mahometes incondita
 voce conclamat, vel quatuor istas naves
 sibi adveherent, vel eas in fundum de-
 mergerent. Attamen, cum Christiani
 in summo navigii tabulatu collocati tor-
 menta sua, nullo globo impune cadente,
 ex alto in Turcas humiliore situ ad ma-
 ris oram dispositos exploderent, hi in-
 genti jam clade protriti pedem referre,
 ac tumultuariam fugam arripere cæpe-
 runt. Mahometes hanc suorum igna-
 viam, ac plurimorum cædem adeo ægre
 tulit, ut iram, furoremque spirans, subdi-
 tis equo suo calcaribus præ rabie in pela-
 gus cæco impetu sese præcipitem age-
 ret, tantum non undis absorptus. Præfe-
 ctum

Etum quoque classis palo transfigere cogitabat, indubie consilium executurus, nisi primorum Aulæ precibus placatus fuisset.

§. CVII.

Naves victoriose portum ingressæ.

Nihilominus Mahometes summa animi sui indignatione has naves portum subire spectabat; cum enim opportuna esset maris tranquillitas, ac sol ad vesperam declinaret, Auster navibus hisce secundus adspiravit, unde Chienfes expansis pleno sinu velis sese Turcarum navibus, nullo ordine dispersis ac metu fractis subdixerunt, & Christianorum navigia paulopost cunctis præ gaudio festiue acclamantibus Urbis portu excepta fuerunt. Victoriæ hujus felicitas non parum inde aucta est, quod nullo penitus ex Victoribus amisso, pauci admodum Genuenses vulnerati essent, qui etiam post aliquot dies decesserunt: cum tamen ex Turcis, proprio eorum testimonio, supra duodecim millia desiderati fuerint. Mahometes impotenti in suos iracundia excandescens, in superos quoque sexcentas evomuit blasphemias; maxime autem infausto obsidionis successu fractus erat, ubi summo animi sui moerore urbis muros a ruinis citius redintegratos, quam læsos

*Phranz. l. 3.
cap. 10.*